Pontificia: id quod Iohannes etiam à Daventria, & Cochlæus fatentur, quorum ille ſic ſcribit : una omnium ſententiâ hic Articulus, ut & duo præcedentes eſt receptus. Et omni vacat periculo.

9. *Vnde etiam factum, ut hic Articulus juſta duntaxat ἀπολογίας vicem ſuſtinere videatur, oppoſitus eorum criminationibus, qui Libertinorum hæreſin Eccleſijs noſtris imputare haud dubitarunt.*

10. *Ex quâ eadem cauſa ὁμοιομέρεια etjam & ſolius θέσεως tractatio, neglecta ἀντιθέσει, Articulo iſti obtigit: Quæ partim falſas peccati cauſas removet: partim veras ponit.*

Quæſtionis de cauſa peccati deciſio ἀφαιρετικὴ ἢ στερητικη.

11. *Diſputarunt omnibus temporibus non Theologi modò, ſed & Philoſophi de peccati cauſa: & hi quidem partim in materiæ ipſius qualitate, partim in cauſa prima, ſive fatali rerum omnium principio eam collocarunt: partim denique ad voluntatis etiam humanæ vitium & depravationem eandem retulerunt: eo potiſſimùm motiargumento: quòd viderent plurima mala eſſe αὐτόσπαστα, quæ libera voluntate, ſine ulla coactione homines ſibi acceſſant.*